

ferunt. Aqueses autem teneantur bona fide, & sine fraude dare operam, consilium, & auxilium, quam citius poterunt, ut Aquesis Ecclesia, & Alexandrina Ecclesia pariter ad unionem perveniant, ita tamen quod civitas Alexandrina propter ipsam unionem in civitate Aquis nullam habeat jurisdictionem, seu dominium, & commune Alexandriae teneatur annuatim facere fieri nundinas apud Aquis ad octavam sancti Michaelis duraturas per octavam spatio quatuor dierum, nisi justo impedimento, vel absolutione Aquesium remanserit. Alexandrini quidem per totum annum non teneantur, neque debeant dare pedagium, vel curadiam aliquam Aquis, nisi pristinum pedagium Episcopi consuetum. Similiter & Albenfes non debeant dare pedagium, vel curadiam Aquis in toto anno, nisi quantum Alexandrini dabunt, cum Albenfes sint cives Alexandrini. Aqueses vero non debeant in Alexandria dare, nec ab eis accipiatur pedagium, vel curadia aliqua, nisi pedagium pristinum Marchionis antiquitus consuetum. Item Aqueses non debeant dare pedagium, vel curadiam in Alba, nisi quantum Alexandrini dabunt. Si autem Alexandrini invitarent, seu requirerent in usum exercitum, vel expeditionem Aqueses, omnes capti, qui de adversariis caperentur, sint Alexandrinorum; eodem modo si Aqueses in unum exercitum, vel expeditionem invitarent, seu requirerent Alexandrinos, omnes capti de adversariis sint Aquesium. Verum si alterutra civitatum captos haberet, pro quibus una, vel altera suos captos cives posset idoneo cambio recuperare, dare alteri teneatur, si fuerit exinde ab altera requisita: de praedis, & captis vero, ad quas, vel quos capiendos Alexandrini, & Aqueses universaliter pro communi simul interfuerint, quinta pars sit Aquesium, reliquum sit Alexandrinorum. Sin aliter interfuerint secundum quantitatem, seu numerum peditum, & militum utriusque civitatis, quae tunc capta fuerint, dividantur. Item Alexandrini, & Aqueses pariter teneantur prohibere, quod nullus locus denuo fiat ab octo milliariis prope civitatem Aquis, nisi fieret voluntate, & consilio utriusque civitatis Alexandriae scilicet, & Aquesis. Item filii Martini de Meladio ita teneantur Alexandrinis, ut Aqueses tenentur Alexandrinis secundum formam scilicet istius instrumenti. Alexandrini vero teneantur filiis Martini de Meladio, ut Alexandrini secundum formam praedictam Aquesibus tenentur. Item si quis habitator Alexandriae ferutam, seu aliquod maleficium, quod absit admiserit in civem habitatorem Aquis, teneantur Alexandrini ita de eo malefactore vindictam facere, seu poenam capere, quemadmodum si in civem habitatorem Alexandriae admisisset. Eodem modo Aqueses versus Alexandrinos exequi, & attendere teneantur. Item si commune Alexandriae causam, vel placitum habuerit coram potestate, vel consulibus Aquis, nullam judicaturam, vel datam inde solvat. Similiter si commune Aquis causam, vel placitum habuerit coram potestate, vel consulibus Alexandriae, nullam judicaturam, vel datam inde solvat. Item si aliqua discordia, quod Deus defendat inter Commune Alexandriae, & Commune Aquis oriretur per Episcopum ipsarum civitatum, sive per Canonicos

majoris Ecclesiae utriusque civitatis, si Episcopo carent, infra quadraginta dies definiatur, & terminetur. Haec omnia qualiter superius continentur, juramento teneantur Aqueses versus Alexandrinos in poena mille marcharum argenti solvenda Communi Alexandriae, nisi attenderint in perpetuum exequi, & observarent attendere bona fide, & in contrarium non venire, & quod ita facient cives omnes habitantes Aquis a decimoquarto anno supra usque in 70. bona fide juvare quod supradicta omnia, & singula observabunt, & annuatim in capitulo supra quod jurabunt potestas, vel consules Aqueses. Item facient, quod haec omnia in integrum, & inviolabiliter in omnibus, & per omnia ab Aquesibus versus Alexandrinos in perpetuum observentur salvo domino Imperatore. Eodem modo Alexandrini versus Aqueses juramento teneantur in poena mille marcharum argenti solvenda communi Aquis, nisi attenderent in perpetuum exequi, & observare, & attendere bona fide omnia, quae superius continentur, & in contrarium non venire, & quod facient ita jurare omnes cives habitantes Alexandriae a 14. annis ad 70. bona fide, quod supradicta omnia in integrum per singula observabunt, & annuatim in capitulo supra quod jurabunt potestas, vel consules Alexandriae facient, quod haec omnia in integrum, & inviolabiliter in omnibus, & per omnia ab Alexandrinis versus Aqueses in perpetuum observentur salvo domino Imperatore, & salvis Mediolano, Placentia, Derthona, & Alba. Haec omnia pronunciata fuerunt supra Ecclesiae Beati Laurentii voltas in civitate Alba praesentibus testibus Ogerio Ratto, Henrico Simplicio de Calamandrana, Bonifacio Albenfi Archidiacono, Oberto Mangogo, Rivalegario, & Rufino de Placentia, Widone Vaditi, Cullia, Henrico Ghisalberto, Willelmo de Vineis, Conrado de Alamannis. Ego Bonifacius de Vineis Notarius interfui, & scripsi. Ego Ubertus Notarius ec. Ego Henricus Notarius ec. Ego Petrus Notarius Sacri Palatii ec.

- (1) *Hic & paullo ante lin. 49. exemplaria nonnulla habent prius sed perperam.* (2) *In alio associare.*
 (3) *In aliis puncta loco verbi statuentes.*
 (4) *Civitatis Aquesis.*

Appendix sententiae circa honorem, ac jura Aquesis Episcopi in civitate Aquesi.

MCCIX.

133

Anno Domini MCCIX., indictione XII., die Sabati II. intrantis aprilis in pleno consilio Albae super voltam S. Laurentii. In praesentia D. Ugonis Turturelli (Tornicelli) Alex., & Aquis Episcopi, item praesentibus Oberto Moicio consule de Aquis, & Jacobo Bucatio, Oberto Mantea, & Ottone, Rappa de Melatio civitatis Aquis Ambaxiatoribus, item D. Gullielmo de Aliate Alexandriae potestas, D. Nicolinus de Foro Albenfis potestas pronunciavit, & dixit dicto consuli de Aquis, ut D. Ugo Episcopus habeat de cetero in civitate Aquis omnes honores, & dignitates, & jura, quas quaeve habebat in eadem civitate per annum unum, antequam ipse de Aquis pro discordia Alexandrinorum, &